



AD AUTOREM ALTERAM
CONFORTATIVAE SACRAE
SYMPHONIAE PARTEM
publici juris facientem.

Confortativas dum vis augere decusq;
Sic HARTMANNE tuum continuare cupis,
Tu mihi quis tandem? Num vir dulcedine mollis?
Num durus, durum nomen ut esse vides?
Sunt Galli atq; Itali suavi dulcedine molles,
At longè es Gallis mollior atq; Italis.
Illi etenim lasciva quidem sic pectora mulcent,
Sed mœrore simul tristia non recreant,
At verò lasciva simul sic pectora mulces,
Et mœrore simul tristia tu recreas,
Ergo mihi es tandem nunc vir dulcedine mollis,
Non durus, durum nomen ut esse vides.
Porro dura fuit magni & res visa laboris,
Confortativas continuare sacras.
Omnia inexhausto at cesserunt dura labori,
Et labor est cunctis durior ille tuus.
Ergò sint dura. At Tu contra audentior ito,
Sic mollis simul & sic mihi durus eris.

Vera amicitia ergò

M. Balthasarus Bertschius P. L. Cæs. p. t.
Ecclesiastes Scheurfeld.